...s Comes Palat. Rheni
...a Catharina Constantia Sigism. III filia.
Philippus Wilhelm
Academiae Vilnensis Soc. Jesu Bellaria academica.



BELLARIA ACADEMICA.

BELLARIA ACADEMICA

Ad Serenissimorum Principum

PHILIPPI WILHELMI

Comitis Palatini Rheni, Ducis Bauariæ, Iuliæ, Cliuiæ, Montium, Comitis in Veldentz Spanheim, Marchia, Rauensburg & Mœhrs, Domini in Rauenstein, &c.

SPONSI,

ET

ANNÆ CATHARINÆ
CONSTANTIÆ.

Augustissimorum Poloniæ Sueciæq; REGVM

SIGISMVNDI III. FILIÆ
VLADISLAI IV. SORORIS

Poloniæ, Sueciæ, &c. Principis

SPONSÆ

Festas, Fortunatas, Auspicatissimasq;

NVPTIAS,

Summo gratulandi Studio

AB ACADEMIA VILNENSI Soc: Iesv.

Oblata.

VILNÆ Typis Academicis. Anno M. DC. XLII.

S. Augustin: de Ciuit: lib: 14. cap: 21.

Illa benenedictio Nuptiarum, vt coniugati crescerent, & multiplicarētur, & implerent terram, quamuis & in delīquentibus manserit; tamen antequam delinquerent data est, vt cognosceretur, procreationem filiorum ad gloriam coñubij, non ad pænam pertinere peccati.

SERENISSIMO
AC
POTENTISSIMO
VLADISLAO IV.
POLONIÆ SVECIÆQVE REGI
Magno Duci Lithuaniæ, Rusſiæ, Prusſiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, &c. &c.

Domino Clementiſſimo.

AD Sereniſs^mæ Principis ANNÆ CATHARINÆ CONSTANTIÆ, vnicæ, cariſſimæq; Sororis Tuæ, VLADISLAE REX Auguſte, feſtos fauſtiſſimosq; cum Sereniſſimo Principe PHILIPPO WILHELMO, Comite Palatino Rheni, Duce Bauariæ, Iuliæ, Cliuiæ, Montium, Comite in Veldentz, Spãheim, Marchia, Rauẽsburg, & Mœhrs, Dño in Rauenſtein, &c. HYMENÆOS; neq; poſtremã, neq; vacuã oportuit adeſſe Academiã hanc Tuam. Sed quid afferret dignum, vel Maieſtate iſtâ Tuâ, vel tam excellẽte SPONSORVM dignitate? Non poterat vtiq; in iſto publicæ omniũ lætitiæ ſplẽdore, cùm ſuæ tenuitatis, tùm eorum qui ſibi Primas meritò vendicarent, muneris atq; officij non meminiſſe. PRIMAS igitur MENSAS, quia proponere non potuit, primùm Auguſtæ Maieſtati Tuæ, & Ser^mæ CÆCILIÆ RENATÆ Poloniæ Sueciæque REGINÆ &c. nec non Ser^mis. Poloniæ Sueciæq; Principibus IOANNI CASIMIRO & CAROLO FERDINANDO Vratislauienſi ac Plocenſi Epiſcopo, &c. tum deinde ijs, qui ab iſtâ Maieſtatis Tuæ luce, fortunæ radios ſuæ, primi

accendunt, lubens volensq; reliquit; contenta abundè sorte suâ, si vel ad SECVNDAS MENSAS locus sibi esset, vt vel BELLARIA exhiberet. Quanquam, vt cæteri omnes Serenissimi istius Hymenæi faces atque lucem splendore opum & auri plurimùm auxerint, ne FAR quidem nostrum in hisce BELLARIIS ex vetere Romanorum ritu, ad Nuptiarum fœdera, nihil opis adferet. Nam, *& in sacris* (si Plinio credimus [a]) *nihil religiosiùs* CONFARREATIONIS *vinculo erat, Nouæq; Nuptæ* FARREVM *præferebant*: & in ipsis coniugij fœderibus plus firmitatis habebat CONFARREATIO, quam vel Vsus, vel Coemptio. Sed nos nostra, eo quo decet loco, hoc est, postremo habemus, ac Serᵐᵃᵉ Maiestati Tuæ, quin & ijs, qui honore, magnificentiâ, atq; opibus sequuntur primi vltrò Primas damus. Quod enim illi adferunt Tuum est, quia abs Te profluxit; ne illis quidem ipsis inficiantibus, qui sanè non alius vllius Regis Thronum, æquè ac Tuum, ab HORIS & GRATIIS (vti quidam aiebat [b].) vident sustētari. Neq; enim plus apud Te effluit Tēporis, quàm profluat abs Te in omnes GRATIARVM & liberalitatis. Quò maiore fiducia accedit cū suis BELLARIIS ad Maiestatē Tuam, Academia ista Tua, vt cum illa pondus, ab Augusto vultu Tuo, & gratiam sumpserint, plus inueniant apud SERENISSIMOS SPONSOS & vacui temporis, & Gratiarum.

Maiestati Tuæ

Æternùm deuota

Academia Vilnen: Soc: IESV.

a. lib: 18. *cap*: 3.
b. Pausan: in lacon.

I.

SERENISSIMO SPONSO

MANIPVLVS

Gentilitium Sereniſsimæ Sponſæ Inſigne Offertur.

PRimus hic è BELLARIIS noſtris MANIPVLVS oculos inuitat tuos Sereniſs. PRINCEPS. Et quid ni Manipulo inter Bellaria primus debeatur locus, qui, inter PRIMAS quoq; MENSAS, meritò primas teneat? Vt multa ſint quæ voluptati ſeruiunt, PANEM ipſa neceſſitas poſcit. Quid verò panis ſine ſegete? quæ autem ſeges ſine Manipulis? Sed hic aut de Iunco, aut de Scirpo Arũdineuè Manipulus eſt. Eò nimirum potiore ad Bellaria loco admittendus, quia Saccaro ſcatet. Norunt Indi, & admirãtur, cum de Arundine cibum legunt, quo orbis vniuerſus neq; ſuauiorẽ, neq; vtiliorem vſquam habet. *Saccaron* (inquit Plinius *a*) *Arabia fert, ſed laudatius India. Eſt autem mel in arũdinibus collectum, gummium modo candidũ, dentibus fragile, ampliſſimum nucis auellanæ magnitudine, ad medicinæ tantum vſum.* Quantũ mellis, quãtum ſaccari de hoc Manipulo, fortunatiſſimis SIGISMVNDI III, & VLADISLAI IV. Imperijs lectum eſt? Erant aliquando tempora, quibus, vti fortè nõ iniuria Poëtæ canunt. *b.*

Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,
Flauaq́; de viridi ſtillabant ilice mella.

a lib. 12. *cap:* 8. *b. Ouid* 1. *metam.*

Quàm

Quàm verò omnia hæc de VLADISLAI IV. Regno meritò cani queāt, Tute, ipse PRINCEPS Serenissime, gratissimus hoc tempore in Polonia Hospes, didicisti. Beatā enimuerò Poloniam! Beatas Regno Poloniæ adiunctas veteris Sarmatiæ regiones! Dū enim Germania, dum Gallia, Hispania, Italia, aliaque Europæ Regna, plus quàm ciuilibus, & atterūtur, & euertuntur bellis, vnica prope Polonia, summo Dei beneficio, & secundùm Deum, non minima VLADISLAI, Sapientissimi Regis prouidētiâ, consilio, ac iustitia, quasi medias inter belli flammas, secundissimâ afflantium Zephyrorū aurâ, hoc est summâ pacis tranquillitate perfruitur. Quæ verò mella pace ista esse possunt dulciora? quod saccarum acceptius? quæ Bellaria toti mundo gratiora? Eant nunc Persæ cum aurea vite sua, quæ de Mandanes Astyagis Regis Filiæ vtero assurgens, totum Regnum, & vmbræ & fructuū excellentia recreauit. c. Nobis Manipulus iste Regius, Gentilitiū Serenissimæ Principis Sponsæ Tuæ insigne, quia pacem turbulentissimis hisce temporibus attulit, non vnam, sed innumeras vites aureas omni fructuū copia redundantes, aut protulit, aut seruauit. Nimirū, habet hoc singulari Dei prouidentiâ Manipulus iste, vt cum Iunceus sit, aut Scirpeus, nullis aquis obrui, nullis tempestatum fluctibus mergi posit. Faxit vtinam sempiternum Numen, vt cum Manipulum hunc in Germaniam asportâris, pacem, quā in Polonia maxima voluptate tua expertus es, in Germania, vel inuenias, vel, quæ Tua inter sūmos Imperij Principes authoritas est, consilio, prudentiâ, pietate, fortitudine Tua stabilias.

c. *Iustinus lib. 1.*

II.

ΕΙΣ ΤΟ ΒΡΥΛΛΟΝ ΒΑΣΙΛΙΚΟΝ.

ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ ΒΡΥΛΛΩΝ ΚΛΥΤΟΝ ΓΕΝΟΣ ἸΣΟΦΑΡΙΖΩ,
ἌΚΤΙΣΙ ΚΛΕΙΤΟΥ ἨΕΛΙΟΙΟ ΠΑΤΡΟΣ.

Idem.

Scirpe genus Regum, proprio te veſtio cultu,
Sol, Pater eſt, Radij ſed tibi veſtis erunt.

III.

MANIPVLVS

Sereniſsimæ SPONSÆ Genus, & Regij
Sanguinis Maieſtatem indicat.

QVis te benigno ſidere defluus
Produxit æther? puro Hyperione
Quæ Scirpe lux infuſa, molli
In graciles calamos, apertum
Vocauit vmbrâ? quis ſocio premit
Denſùm refuſas in cumulo comas?
Quis lege perplexus tenaci
Circuit, arbitrioq́ nodus?
Quali ſuperbus vertice, Regio
Virere gaudes ſtemmate? quà tibi
Lechuſq́, Lithuanuſq́ prono
Poplite prociduus decorum
Genu ſupinat! Iam tibi candido,
Per Regna veris, Lilia vertice
Nec erubeſcendas reclini
Gramine depoſuêre criſtas;

 Vinciq́

Vinciq́ gaudent: non humilem Rosæ
Molli remittunt murice purpuram,
Crociq́, Calthæq́, atq́ Acanthi,
Et Roseis violæ capillis,
Nardiq́, latè te populus minor
Florum, decoro suspicit agmine
Regem, verecundoq́ stratus
Annuit omnis ager vireto.
Regnare tantum natus, & horridum
Domare Pontum, & difficili obrui,
Per uorticosi terga Nereî,
Tramite præcipitare cursus.
Scit toruus Ister, scit famularibus
Subiectus vndis Danubius, truci
Nouit Borysthenes pruinâ
Et tumido maria alta fluctu.
Quem tam remoto gurgite Nereus
Auexit? aut quæ terminat vltimi
Extrema mundi Thule, auaro
Abripuit malè surda fundo?
Cuî non, per omnem laus Iagelonidûm
Cantata mundum, rumpat amabili
Aures tumultu? quemuè nullo
Cognita transiliat susurro?
Quis dicat æquo carmine, quæ manus
In sceptra surgant è Iagelonia
Stirpe, aut ijt vertex honoro
Sub Lechicum diadema crine?
Dicat, reclinis cui toties suo
Submisit Hæmum vertice Concanus?
Et prata Daci, quæ timendûm
Sub Geticis latuêre truncis?

Dicat

Dicat, cruentas cûi male turgido
Euoluit vndas vortice? cui pigrum
Hæsit maniplis, subducto
Carpathium tremuit profundo?
Cûi (quà propinquos asperat horrido
Campos Bootes frigore) supplici,
Producta verticem sub astra
Mænia, procubuêre fronte?
An non tremendo dum Iagelonius
Refulsit ensis fulmine, & arduam
Lucem refudit, qui Polono
Semper apex radiauit auro?

IV.

Ad Viridē florētēq; Serenis: SPONSÆ Manipulum Apes Barbarinæ inuitantur.

DITHYRAMBVS

ITe, Nectaris Magistræ,
Ruris hospitæ volucres;
Ite, ciues delicatæ,
Et virentem, quem videtis,
Spargitote melle Scirpum:
Melle rami, melle frondes,
Melle totus turgeat.
O rapax Ales per hortos,
Nec minus rapax per agros,
Per vireta, per roseta,
Per fragrantes perge flores,

 Per vi-

Per virentes perge campos,
Funde rorem, funde mella,
Melle Scirpus turgeat.
Quoſq; campis, quoſq; calthis,
Quos & hortis, quos & aruis,
Ebibiſti fida rores,
Fida Scirpo redde rores,
Funde mella, finge ceras,
Proq; melle finge cellas,
Mella Scirpum adimpleant.
Dumq; mella, dumq; ceras,
Dumq; fingis cauta cellas,
Quo cies iram ſuſurro,
Qua ſoles tonare voce,
Nuptiale pange carmen,
Nuptiales adde plauſus,
Inſona Thalaſſio!
Ecce Scirpus melle plenus
Nectaris pleno leoni
Iugitur! DVLCEDO MELLIS
NATA QVIPPE DE LEONE.
Scirpus ergo dum Leoni
Alligatur, melq; melli
Inſona Thalaſſio!
Iunſona canora vates,
Hinc genus clarum Leonis,
Hinc decus Regale Scirpi;
Dumq; Scirpo, dum Leoni
Fata voto vota cantu
Expedis, facunda vates,
Inſona Thalaſſio!

V.

V.

SERENISSIMÆ SPONSÆ

LEO

Gentilitium SERmi. SPONSI Insigne Offertur.

GEntilitium SSrmi Sponſi Tui Leonem, ad Nuptiale Serenitatis Tuæ conuiuiũ Academicus affert Apollo, Princeps SSrma. Quanquam non affert, ipſe vltro ſuauiſſimo virtutum Tuarum concentu, quaſi Amphionis vel Orphei fidibus delinitus venit. Hìc etiam inter artificiosè pretioſis inſtructa condimentis BELLARIA locum occupabit. Nihil quidem in illo reperiri videtur, quod palatum recreare poſſit; habent in illo oculi, quo non ſatientur modò, verùm & recreentur. Ineſt certè oculis etiam ſua fames, ſunt & oculorum cibi. Aureo Græciæ oratori cibus oculorum, Spectatio eſt. Commodiſſimè igitur ad aſpectum Tuum Palatinus LEO aſſurgit, vt ſui Principis exhibeat claritatem, quam per ſummos dignitatum prouectam gradus orbi ſpectandam dudum exhibuit. Præripit hac in parte cœleſti leoni laudem, cùm, non vt ille vix hoſpitio ſolem in ſe excipit, ſed fixum ſuorum Heroum ſplendorem, imo Heroas quoq; ipſos, hoc eſt, totidem ſoles quot Heroas, perpetuò circumferat, & omnium gentium oculis incredibili omnium voluptate ſpectandos exhibeat. In hoc etenim Leone Palatinatus Rheni, Bauari-

cæque Domus Serenitatem, in hoc ſummam Electoratus Eminentiam, in hoc tot diſſitarum tota Germania Prouinciarum nemo non videt ſplendeſcere Principatus. Ex huius Leonis corde, Martia claritas SSr$^{mi.}$ VLADISLAI, Lechici Martis, Fratris Tui conſpectui alluxit, cum eius iudicio dignus habitus eſt, cuius pectori Regia Serenitatis Tuæ Stella inſereretur, in qua hæreditariarum virtutum ſplendor reflexus, pulcherrimam Paterni Materniq; ſolis depinxit imaginem; vt iam nunc Leonem iſtum, perpetuam ſolis domum non immeritò nuncupemus. Ab hac ſolis domo oriens radius, mutas Apollinis noſtri, vti quondam Memnonis [a] chordas animauit; quæ ſi inter nuptiales plauſus, cùm ab alijs, tum abs Te potiſſimùm, benignè audiantur, non iam chordis, ſed ipſi Apollini vitam dediſti.

a Philoſtr: lib: 6. cap: 3.

VI.

ΕΙΣ ΛΕΟΝΤΑ ΒΟΙΚΟΝ.

ἩΓΕΜΟΝΟΣ ΒΟΪΟΥ ΕΝΙ ΣΤΕΜΜΑΤΙ ΚΥΔΟΣ ἍΠΑΣΑΝ,
ΓΗΝ ΚΥΚΛΟΙ, ΜΑΡΤΥΣ ΤΟΙΑ ΛΕΩΝ ΒΡΥΧΕΕΙ.

Idem.

Fama Ducis Boî totum circumuolat orbem,
Teſtis rugitu ſic probat ipſe Leo.

VII.

VII.

LEO SERENISSIMI SPONSI Genus, & Palatini Bauaricique sanguinis claritatem indicat.

NOn ergo frustra credimus, aureo
Latè micantes murice siderum,
Fuluo Planetas in leone,
Ætherios peragrare campos;
Quando per altos magnanimus LEO
Gradus honorum, Boiaricam tulit
Serenitatem, quæ Ducatus
Juliaci Cliuiæq; longe
Terras inauret; quam famulo colant
Virore flores, nobile MONTIUM
Pignus, repercussosq; cuius
Excipiant radios tricornis
Fluenta Rheni. Iam quoq; Lechicas
Accendit auras de patrio LEO
Fulgore, dum parat Polonæ
Boiariam sociare lucem.
Et iam corusco pectore Regium
Effulsit astrum, cuius ab aurea
Lucis procella concitatæ
Aoniæ sonuêre ripæ:
J, perge felix, gloria Lechici
Cœli, remotos irradia sinus,
I, perge, Theutonum per oras
Purpureos paritura Soles;

Qui Fauſtitatem, qui reuehant diem,
Denſam ſeueræ triſtitiæ procul
Noctem repellentes, & atras
Fulminea grauitate nubes.
Te ſumptuoſis verticibus diu
Germaniarum proſpiciunt domus,
Et vrbium poſcunt ſuperba
Tecta, tuâ radiare luce:
Te Moſa propter gemmifero ſecat
Liquore terram, ditibus vt laues
Vndis, graui dudum calentes
Sole comas, roſeosq; vultus.
Referre voces talibus æmulas
Nemus iocoſâ certat imagine,
Auesq; ſyluarum camenæ,
In ſimiles animant ſonantem
Modos eremum. Flora, recentibus
Arridet vltro veris odoribus:
Nec collium herboſi tumores
Lætitiæ caruêre ſenſu.

VIII.

VIII.

LEO SERENISSIMI SPONSI
Claritatem Generis magno Virtuti ornamento esse docet.

NIl iuuant Patrum patriæq; laudes,
Si Patrum desit Patriæq; virtus.
Sed iuuant multùm, quoties & ipso
Splendet ab ortu
Principum Virtus, propriosq; Patrum
Moribus mores animat, vel ipsam
De suâ, Patrum patriæq; lucem,
Luce coronat.
Pulchra sat Phæbe proprio paratu;
Pulchrior multò, quoties vel astris
Cingitur, consanguinei vel ardet
Lumine Phæbi.
Sat suis lucet radiis Iäspis;
At magis lucet quoties coronâ
Cingitur Fratrum, radiosuè iuncto
Sumit ab auro.
Sat rubet viuo medicata succo
Purpura; at sanguis quoties Auorum
Purpuram pingit, Tyrio rubebit
Clariùs ostro.
Sic & agnatâ licet vsque luce
Splendeat Virtus; tamen, ad paternos
Si suos addat radios, & illis
Viuet, & istis.

Lux ab antiquis Abauis Auisq;
Missa, Virtutem vitiumq; quoduis
Posterûm accendit, meritisq; miscet
Præmia pœnis.
Jlle, dum septus latitat paterni
Sordibus tecti, generosa fumo
Ausa consignat, tacitusq; cœlo
Vindice viuit.
Ast hic, æternos generis domusq;
Inter auctores, Titulis Auorum
Vndiq; effultus, nihil absque teste
Audet, agituè.
Nil manu tentat, nihil incitata
Mente molitur, subeunt vbiq;
Facta maiorum, patriaq; obortas
Mente tenebras
Luce dispellunt; tenebrisq; (si quæ
Forte delapsæ vitijs Auorum)
Pectus ad puri radios decusq; hor-
-tantur Honesti.
Phosphorus cæcas velut inter vmbras
Est suæ semper memor vsq; stirpis,
(Namque cœlestes potior priorque In-
-termicat ignes)
Et reuersuri placiturus olim
Vultui Phœbi, tenebris, & ipsâ
Noctis accendit generosior Ca-
-ligine lucem.
Sic iuuant Patrum Patriæq; laudes,
Si Patrum haud desit, Patriæq; Virtus;
Nam iuuat, virtus quoties & ipso
Spendet ab ortu.

I X.

SERENISSIMO SPONSO

AQVILA

Regni POLONIÆ & Sern^mæ. SPONSÆ Insigne D. D.

APPARVISTI, ſolis inſtar, in tranſcurſu Poloniæ Hoſpes Auguſte, PRINCEPS Ser^me, cum Te Aquila Polona victrix, geminos ſoles ſuos magna amiciſſimæ familiaritatis ſymbola altiùs intendens, Domeſticum ſalutaret: atq; vbi primam ſplendoris Tui gloriam contemplata eſt, vti cauſam optimè de te merendi ſumeret, præſtantiſſimam Patriæ noſtræ Cynthiam, ſui candoris certiſſimam alumnam, Ser^mam PRINCIPEM, ANNAM CATHARINAM CONSTANTIAM adiunxit. Ad huius Aquilæ candorem, dies menſesq; SPONSA Tua exorſa eſt; ab hoc candore conſtanter auguſtèque viuendi præcepta duxit; huius candoris adminiculo partes Religionis omnes, veræq; Pietatis officia expleuit: hoc candore, velut ad ſe proximè ſpectante, non ſecus ac liliū, florentiſſimas æquè ac nobiliſſimas Regni huius Prouincias, dudum omni obſcuritate liberas, ad Maiorum claritatē extulit ac prouocauit. Sacra non nemo olim faciebat, quod gente non barbarâ proditus eſſet: Ser^ma Poloniæ PRINCEPS, quod ſub Aquilæ candidæ adoleuerit tutelâ, hoc eſt, quod candidos ſemper dies, quod vota, quod acclamationes, &

candida hactenus suffragia experta sit, non alia sanè quàm candidâ gemmâ signabit. Diu est, ex qúo Aquila Polona nobilissimos pullos suos, Regnis maximis destinauit; orbique regendo in SIGISMVNDO III, Eiusq; Filio Rege, inuictissimo VLADISLAO IV. Scytharum, Moschorum, Turcarumq; Domitore, pares demonstrauit. Ita hanc volucrum Reginam dulcis cura Regij Sanguinis perurget, eámq; sublimia irretorto lumine conspicere docet. Agnouit candidi pectoris Alitem, potentissimi Imperatoris Ferdinandi Aquila, eiusq; candore delectata, Austriacâ Tæniâ Ser^mam^ CÆCILIAM RENATAM, germanissimã Cæsaris Romani Sororẽ obligauit. Agnouêre perduelles, & dubiæ fidei capita, quorũ consilia candorem hunc latere minimè potuerunt. Agnouêre hostes vniuersi, hic nidum fulminantis Aquilæ positũ esse. Quidquid igitur gloriæ, quidquid nominis, quidquid cõmendationis consequi potuit, id totum TIBI, Magne DVX, cum Ser^ma^. Poloniæ PRINCIPE libens impertitur; adeoque seipsam cum Principe deuouet, minimè dubia, laudes Regij Sanguinis SPONSÆ TVÆ, non verborum ambage, sed serie virtutum ac genio Regio esse commendatas.

X.

X.

ΕΙΣ ΑΕΤΟΝ ΒΑΣΙΛΙΚΟΝ

ΑΕΤΟΣ ΥΨΙΠΟΛΟΣ ΛΕΥΚΑΙΣ ΠΤΕΡΙΓΕΣΣΙ ΠΑΤΑΣΣΕΙ,
ΥΨΙΛΟΝ ΕΝ ΝΥΜΦΗ ΝΟΥΝ ΠΟΛΟΝ ΥΠΕΡΕΧΕΙΝ.

Idem.

Alta ſonans alis Ales docet æthere claro,
Alta poteſt Sponſæ mens ſuperare Polos.

XI.

AQVILÆ POLONÆ Laus per Ser^mæ SPONSÆ Nuptias vbique diffuſa.

Victrices Aquilas Lechi,
Dicent perpetuò Regna Poloniæ,
Donec Threijcios canes
Prædæ Vallachicæ ſpe temerarios,
Seruabit tacitos Chocim,
Seruabit miſeros & calidos fugâ;
Dextram pacis in obſidem
Tendentes Lechico longiùs Aliti.
Non vnus calamo vigor,
Non vno lateri figitur is modo,
Et præcordia tranſijt,
Ipſos Ottomanos impoſuit rogo.
Victrices Aquilas Lechi
Dicent perpetuò Regna Poloniæ.

Donec lenta Borysthenes
Ponto liberior flumina suggeret.
Donec Vistula præpete
Nisu coget aquas in mare Balthicum.
Donec se Boreæ Trion
Inuertet parili luminis orbitâ;
Donec Victor, & integra
VLADISLAVS erit Vita Poloniæ,
Donec CÆCILIÆ Decus
Viuis ad superos crescet honoribus.
Si CONSTANTIA Coniugis
Ingentes animos Boiarici probat,
Non se candida, Lechico
Non se vis Aquilæ Limite continet;
Pergit trans iuga Carpathi,
Flauentis Rhodani Littora permeans
Alas explicat, ac iubar
Intendit geminum. Surgite Lechicus
Sanguis; pars potior Tui
In partes alias expetitur DVCI.
Sic Augustior audies;
Sic te dum socias, carmine debito
Vicinasq; Aquilas Tuas
Dicent Boiarici sceptra palatij.

XII.

XII.

AQVILA POLONA

Animi in Deum tendentis, & PIETATIS Ser^mæ SPONSÆ Symbolum.

QVis irretorto viuidus impetu
Ales coruſcum tendit in æthera?
Iam ſiderum eluctatus axem
Empyreos ſuperare pernix
Molitur orbes! Siſte, quid arduus
Peñâ ſuperbis? num DOMINAM potes
Præuertere alis, quando turbam
Præueheris volucrum minorem?
Sunt & Polono lumina ſanguini,
Quæ fulgurantûm culmina ſiderum,
Nubeſq;, monteſq; & ſupremos
Aetheriæ ſuper vſq; ſedis
Leuentur ignes. Sunt, quibus æquoris
Terræq; gazæ, dira animis creent
Faſtidia, & cogant amicos
Nocte dieq; habitare cœlos.
Si quando terram res populi vocet
Luſtrare, credant ipſa palatia,
Aulaſq;, fœdas eſſe caulas,
Vel nemorum malè culta luſtra.
Ergo, vel ipſis ocyus ignibus,
Cum fas, in altum ſeſe iterum leuant,
Arbitrioq; cœli, eaſdem
Ire, redire vias parati

Cœlo fruuntur; seq́ iterum, Deo
Deiq́ causâ sic repetentibus,
Terræ reponent, atq́ in vmbrâ
Non humiles humili locabunt.
Sic Te Virago, Sarmatidûm decus,
Sic Te Parentum cura docet frui,
Terrena propter, sempiternis,
Propter & astra polumque, terris.
Ergo, Dianæ more Thoantidos,
Choro Tuarum cincta Gregalium
Nunc lustra, Terrarumq́ Tempe,
Nunc Superûm colis vsq́ tecta.
Vbiq́ mentem libera vinculis,
Vbiq́ soli dedita Numini:
Seu terram habes, amica cœlo,
Siue Polum, studiosa terræ.
Sic nempe sueuit Rex auium, & Iouis
Minister Ales, nunc humilem solo
Cauare nidum, nunc Tonanti
Se, & famulas redhibere pennas.

XIII.

SERENISSIMÆ SPONSÆ QVATERNI LEONES

Hæreditaria Serenissimi SPONSI Insignia.

D D.

NEMO VNQVAM MORTALium fuit, Serenissima PRINCEPS, qui Samsonem, portentum illud generis humani vel robore, & virium magnitudine, vel Mensæ epularumq; lautitie superarit. Si robur spectemus, fabula est, & plus quàm fabula, tãtopere cantatus in fabulis Hercules: si Epulas, *tristi Domicænio*, vt cum Poeta loquar, *laborant* mortatales omnes, etiam Augustissimi; solus atq; vnicus Samson, libero atq; aperto campo epulatur, quia soli illi *De forti egressa est Dulcedo*, vt Sacræ loquuntur literæ. Multa sunt PRINCEPS Serenissima, quæ Nuptiales istas Epulas Tuas augustiores reddũt, sed quid cetera omnia ad quaternos LEONES, quos Tibi omnes, vno quasi missu, exhibemus? Nulli dubitamus, quin de vnoquoq; istorum omnibus augustissimis hospitibus, & conuiuis Tuis, egressura sit dulcedo singularis. Quis enim in amplissimo isto Poloniarum Regno hactenus fuit, qui, simul ac Leones istos in Serenissimo PRINCIPE SPONSO Tuo spirãtes vidit non eximiam Virtutum, eo fastigio (in quo, secundùm DEVM, non tam fortuna quàm virtus illum collo-

 cauit.)

cauit.) longè digniſſimarum, ſit admiratus magnitudinem, ſplendorē, varietatem? Vnius VLADISLAI IV. Sapientiſſimi Regis ac Fratris Tui vox, inſtar omnium nobis erit. Ille ſanè virtutum earum ſplendorem, non oculis modò (qui illi ad peruidendas hominū mentes diuino beneficio pluſquàm lyncei ſunt) ſed longo, ac prope quotidiano vſu ita probauit, vt diceret, *Eum Vnum dignum eſſe qui & PRINCEPS naſceretur, & Principatum pro dignitate meritoq; gereret*. Patere igitur SERENISSIMA PRINCEPS inter auguſta Nuptiarum Tuarum BELLARIA, quaternos etiam SERENISSIMI SPONSI LEONES ſpectari. Ad Tuas illi Coronas (quæ cum prima, quam hauſiſti, luce hæreditario Tibi iure affulſerunt) magna contentione prouolant; ſiue vt coronentur, ſiue vt Coronarum numero ac ſplendore augeantur. Quanquam & in LEONE Tuo vident quod alliciat, quod recreet, quod ad conſortium, quin & exemplū, inuitet. Mirantur robur, quod ſi Iuſtitia adeſset, inuictum optent: mirantur & prælia, victorias, felicitatē: quam, ſi DEO Eccleſiæ, Patriæq; addicat, æternam voueant. Accipies quocirca illos SEREN: PRINCEPS, & vel Tuis inſignes auctoſq; Coronis, vel Tuo minimùm LEONI inter domeſtica Regiæ nobilitatis ſigna numerabis: vel deniq; perpetuum IagelonIæ domicilium GLORIÆ in ijs conſtitues. Nunquam profectò ſplendor Iagelonius, & auguſti GLORIÆ veſtræ radij noctem, aut tenebras, aut procellas metuent, qui dum, tot in LEONIBVS commorando, fulgebunt, SERENISSIMAM, eámq; perpetuā Tibi Tuiſq; ÆSTATEM reddent.

XIV.

ΕΙΣ Δ. ΛΕΟΝΤΑΣ ΒΟΙΟΥΣ

ΗΓΕΜΟΝΟΣ ΒΟΙΚΟΥ ΠΑΡΑ ΤΕΤΤΑΡΕΣ ΕΙΣΙ ΛΕΟΝΤΕΣ,
ΝΥΜΦΙΟΣ ΕΚΛΕΚΤΟΝ ΕΝΘΑ ΘΡΙΑΜΒΟΝ ΑΓΕΙ.

Idem.

Principis hi certant quatuor certare Leones,
Inde Tibi festus Sponse triumphus erit.

XV.

QVADRIGA

Quatuor Serenissimi SPONSI LEONVM, Triumphali Serenissimæ SPONSÆ currui iunctorum.

DITHYRAMBVS

ERudita maximarum
Nunciatrix Fama rerum,
Surge læta, prome plausus,
Nuptiales nempe plausus.
Nuptiales atq; tædas
Principum sonantiore concelebra carmine.
Perge diues, & nouarum
Plena semper perge rerum,
Per virentis Regna Floræ,
Perq; Cyrrham, perq; Pindum,
Per Lycæi regna Phœbi,

Atq; tales erudito Mitte voces vertice.
O medulla Gratiarum,
Blande pectorum Tyranne,
Suauitatis Fons Apollo,
Et potentes Musæ plectro,
Ter beatæ floridorum
Inquilinæ gaudiorũ Linquitote verticem.
Vos patentes ad suauem
Prouocant viæ laborem,
Vt virentis arua campi,
Quà Maritus cum Marita
Expetitum scandet iter,
Lacteisq; Cæsijsq;
Vestiatis floribus.
Flora regnet, & triumphet;
Candidumq; ducat agmen,
Floridamq; reddat aulam
De viretis, de rosetis,
Deq; cespitum rapinis,
Deq; Tempe floribus.
Perge Apollo, perge Pæan,
Perge iunctis cum Camænis.
Expedita blandientum
Iam QVADRIGA stat LEONVM
Et ministra gloriosis
Iam Maritum iam Maritam
Vult leuare curribus.
Laureata Maximorum
Perge Principum Quadriga,
Gratulantibusq; terris,
Per beati regna veris
Defer ambitus rotarum.

Sit labo

Sit laboris digna merces,
Principum felicitas.
Linquitote Regna SPONSÆ,
Scanditote Regna SPONSI,
Ceßit imber, ceßit atrox
Quattuor Fratrum tumultus;
Ceßit Eurus, ceßit Auster,
Et niualis ira Cori,
Ceßit omni climate.
At Fauonius modesto
Regna peruolat susurro;
Atq; montes, atq; colles,
Et viarum vbique calles
Flore sternit, rore spargit,
Ne triumphi tam beata
Demorentur otia.
Perge SPONSE, Perge SPONSA,
SPONSE lætus, SPONSA læta,
Læta primùm vos salutant
Regna veris, donec ipsa
Vos salutent Regna, Regni
Donec Ordines profundo
Supplicabunt poplite.
Donec omnis Faustitatis,
Omnis & felicitatis,
Omniumq; Gratiarum,
Vos Corona comprehendet;
Passibusque gloriosis,
Æuiternùm subsequetur.
Et præibit GLORIA

XVI.

LEONES INSVBLIME ERECTI

Generosum Seremi: SPONSI pectus,
& animum in arduis infractum notant.

QVid Viro forti magis incitatum,
Et magis constans, vbi fida pectus
Imbuit Virtus, animũq́ magnum
Sepsit Honesto?
Voluitur præceps, vada per, per ipsas
Rupium moles violentus amnis;
Desinit volui, simul incitato oc-
currerit agger.
Ilicem fixæ religant ab ipsa
Stirpe radices, tamen inquieta,
Nutat, & ventis aliquando victa,
Proruit ilex.
Sed viro forti neque concitatum,
Nec magis constans, videt aut cadentûm,
Cum suis vndis populóquè Diuûm
Gurges aquarum:
Aut pererrantes Satyri iliceta,
Aut leues Fauni nemorum inquilini, aut
Fulminatorum Acroceruaniorum
Qui iuga spectant.
Ille, seu ventis agitetur æquor,
Seu sacro tellus quatiatur igni,
Et mari ventos, & adacta ridet
Fulmina terris.

Fran-

Frangitur fluctus, decimóque frustra
Impetu rupem furibundus vrget:
Procidunt rupes, genitæquè tantis
Rupibus vrbes:
Ipse, qui vultu recreat sereno
Et Polum, & terras, patitur serenum
Eripi Phœbus sibi, nubibusque
Lumina frangi.
At viro forti generosa nunquam
Mens cadit; nunquam radij serenæ
Frontis expirant; tetricâuè languet
Vultus in vmbrâ.
Sic Leo frontemq́, animumq́ fortem
Semper infractus, videt irretorto
Fulminum iactus oculo, suisque
Tutus in armis
Pectus aduersum, licet vsque, & vsque
Ingruant hostes, generosus offert;
Et suâ, quotquot veniant perîcla,
Ridet in irâ.
Sic viro forti nihil incitatum
Nil magis constans, vbi fida pectus
Imbuit virtus, animumq́ magnum
Sepsit Honesto.

XVII.

SERENISSIMO SPONSO

LEO

Regni Sueciæ, SERmæq; SPONSÆ Insigne Offertur.

ECce verò, Serme PRINCEPS, dum Oculos Tuos vario BELLARIORVM apparatu pascimus, nouo fortè, sed non minus grato spectaculo irrumpit ad Mensas hasce secundas & LEO! Timeri ille posset, nisi apud Te adesset. Quid enim Tu Leonem timeas, apud quem, quatuor omnino LEONES, à tot tantisq; maioribus hæreditario transmissi iure, in Serenissimis Insignium Stemmatumq; Tuorum quasi caueis, æternùm stabulantur? Aut Seminarium Leonum apud Te est, aut Gymnasium perpetuum; vt cani non iniuria de Te queat. *Nouerunt cui seruiant Leones* Ad istorum consortium, ipso quasi Naturæ ductu adiungi quintus optat, & inter BELLARIA nostra quasi per vim irrumpit. Sueticus est, qui Patriæ non contentus finibus inter alia Regna Germaniam quoque Tuam, dudum infestus peruagatur. Et nunc erectus in sublime, atq; ad cursum, vel etiam saltum accinctus, sese tibi sistit. Interim prius quam ad Te adeat, Fluuios tres apud quos & natus est, & educatus, audaci atq; imperterrito pectore, vel transilit, vel felici vado tentat, vel natando se oblectat; & puluerem, quem siue cursu, siue pugnâ, siue tot Martiorum Camporum arenis contraxit; & sanguinem, quo inter densissimas ho-

mas hoſtium cædes, plus millies, fædatus eſt, abſtergit. Ita nempe ſeſe Tibi, Leonibusq; tuis probabit, ſi, quod hactenus per emiſſarios quosdā ſuos crudeliter, quod impiè, quod contra fas, & æquū, alicubi geſſit, penitus eluat, Tuorūq; exēplo Leonum, atque conſortio adiutus, eos aliquando ipſos quorum ductu ad ſæuitiam, & omnem eſt iniquitatem efferatus, iuſto mactet ſupplicio. Neq; cæteris ſuis ciuibus deerit, quos ſæuâ paucorum Tyrannorum ſeruitute preſſos, vt ad pileum vocet, adeoque aſſerat in libertatem, Tuorum ſubſidio Leonum excitatur. Et erit ſanè aliquando tempus, cum iſti, qui nunc Regi ſuo erepti, & quodam faſcino, ſub blandâ Libertatis ſpecie, in teterrimā redacti ſeruitutem, vel iure ad nomen Regni reuocentur, vel vi adacti, maculam, quam impiè contraxêre, ijs ipſis fluminibus, quibus innatat Leo, non tam aquis, quam ipſorum ſanguine manantibus, ſerò quidem, ſed tamē ſeriò eluant. Decet enim, vt Polonia Sueciaque Vnum Regiæ Maieſtatis Manipulum, mutuis auxilijs vel nectant, vel adorent; & Rex animalium Leo, à Regina auium Aquilâ haud longè ſeiungatur. Quo quidem fiet, vt & Scirpus maris, & Leo Terræ, & Aquila aëris, Vni Iagielloniæ Domui aſſerat imperium.

XVIII.

ΕΙΣ ΣΟΥΕΒΙΚΟΝ ΛΕΟΝΤΑ.

ΣΟΥΕΒΙΚΟΣ ΔΗΛΕΙ ΛΙΣ ΙΦΙΑΜΑΖΟΝΑ ΝΥΜΦΗΝ,
ΤΗ ΓΑΡ ΕΝ ΑΝΔΡΕΙΑ ΑΝΤΙΑΝΕΙΡΑ ΠΕΛΕΙ.

Idem.

Sueticus hæc cunctis dicit LEO, fortis Amazon
SPONSA manet, digno principe digna viro.

XIX.

LEO SVECIÆ, & SER^mæ SPONSÆ Insigne, fortem eiusdem & Constantem in aduersis animum signat.

QValis Luciscis despicitur iugis,
Tumultuoso Villia vortice
Latrare, contra peruicaces
Exiguis scopulos, vepretis,
Ripisq; tutos; dum scopulus vado
Jmmotus, ipsis imperat amnibus,
Fugatq; victos, dum repulsa
Fletibus auget aquas procella.
Talis trisulci Sueticus institit
Leo per aluêum fluminis; & licet
Neptunus irâ fractus altos
Faucibus euomuit tumultus
Toruâ stat alti nube supercilî
Leo timendus, despicit irrita
Subtus, fatigatorum inermis
Murmura & insidias Deorum.
Quantus Poloni è vertice Carpathi
Ruptis inundat Vistula fontibus:
Et Littauûm quantus remugit
Villia vorticibus per arua.
Mulsâq; qui dat Rossiacis aquâ,
Moschisq; potus, Duna Colonijs:
Tot sub Leonem abire iussas
Ipse timor glaciauit vndas.

XX.

In LEONE Gentilitio, Virilis Ser^mæ SPONSÆ Constantia adumbrata.

ET quæ Virili fronte tibi micat
Virago virtus, atq́ oculos tenet?
Lateq́ maiestas refuso
Imminet in faciem Sereno!
Quamuis Venustas mollè rubet genis,
Et nata viuo purpura murice;
Tamen vel ipsâ gratus irâ,
Per medium micat horror ostrum;
Monstratq́, nullam pectore fœminam,
Quam mæsta, vultu terreat obuio
Fortuna, vel si fata tristem
Obijciant inimica vultum.
Infracta magni pectoris è throno
Rerum tumultus cernere, & arduos
Inferre vultus, quà timendo
Constiterint mala dura telo.
Non sic feroces vibrat Amazonum
Regina visus, & faciem asperat
Toruo decore, quando auarâ
Mars tonuit fremebundus hastâ.
Vt tu Sereni prodiga pectoris,
Frontisq́ larga, non humilem iacis
In cuncta vultum, & eminenti
Semper amas propiora cœlo.

XXI.

SERENISSIMÆ SPONSÆ

RHOMBI

DVCATVS BAVARIÆ & Ser^{emi} SPONSI gentilitium signum.

D D.

INspice Te, magna PRINCEPS, in Maiorum Tuorum trophæis; considera monumenta Auorũ, Atauorũ Maiestatem specta: Fratris Tui Regis vel in Aquilonem, vel in Orientem propagatam fortitudinem intuere: Quin etiam non partem solùm Europæi orbis splendorem Tuũ pertrinxisse vt intelligas, RHOMBOS Serenissimi Bauariæ Ducis SPONSI Tui accipe, è quibus velut è speculâ, vel potius speculo, orbem contempleris; vnde Sceptra Bauarica dinumeres; vnde Austriacorum vetustissimam, & imperio natam Familiam, cum insignibus symbolis gentilitijs, inter præcipua decora Bauarorum suspicias; Inspice, inquam, simulq; accipe, seu ex electro aureo, seu crystallo purâ, concinnatos RHOMBOS. Si Adamas in illos abiit, in lucem totus abiit, vt se Tibi communicaret. Habet Serenissimus SPONSVS Tuus ea virtutum decora, è quibus non omnino fictum Adamantem colligas. Est illi genuinus veræ pietatis color, & absq; næuo, vel vllâ ex illius hydræ Tartareæ nata nube, candor: Est diuinarum humanarumq; Literarũ, non medi-

ocris

ocris ſcientia: eſt artium honeſtiſſimarũ, abſtruſioriſq; Philoſophiæ ſingularis cognitio: Eſt rei bellicæ doctrina, non inter eruditorum hauſta otia; neq; è Vegetianis, Archimedæis, aut Lipſianis vmbris ducta; ſed in puluerem, in ſolem, & in aerem producta, totq; ac tantis Germaniæ in diſcriminibus ſpectata. Eſt deniq; robur vigorq; animi, ſunt vires, & conſtantia planè Adamantina, quæ ne ſanguini quidem cedant, tantum abeſt; vt vel ferro hoſtili molliantur. Tantum igitur lucis ac ſplendoris è tot tamq; claris RHOMBIS vel potius Adamantibus, PRINCEPS Sereniſſima, cum auſpicatiſſimis Nuptijs Tuis affulſerit, non eſt quod vel faces, vel tædas, è ritu veterum, Nuptiales requiras. Quia verò Adamantes iſti quà Coronis, quà ceteris inſignibus quoq; Tuis, obligantur, adeoq; vniti iam ſunt, ita deinceps Bauariæ, totiq; Germaniæ lucebunt, vt pars magna lucis iſtius in Poloniam, imò, quod vouemus & ſperamus vniuerſi, in orbem redundet vniuerſum.

XXII.

ΕΙΣ ῬΟΜΒΟΥΣ ΒΟΪΚΟΥΣ.

ΦΡΑΔΜΟΣΥΝΗΝ ΣΥΝΕΣΙΝ ΤΕ ΣΕΘΕΝ ἈΡΧΗΓΕ ΦΕΡΙΣΤΕ,
ΔΕΙΚΝΥΣΙ ΤΕΤΤΑΡΣΙΝ ῬΟΜΒΟΣ ἙΘΕΝ ΜΕΡΕΣΙ.

Idem.

Inſint quanta Tuæ prudenti munera menti,
Per partes RHOMBVS dinumerare poteſt.

XXIII.

RHOMBI BAVARICI

Prudentiam Serenissimi SPONSI
Et in consilio rebusque gerendis
Perspicaciam indicant.

MOme, quid diro laceras Deorum
Ore conatus? Iuuat expeditam
In scelus linguam, iuuat efferum fre-
Nare Corœbum.
Mome, vel solo Tamyræ duello in-
Famis! En RHOMBOS! licet in serenum
Principis pectus studiosiore ad-
Vertere censu.
Iam viden! quantùm generosa seruet
Mens opum! quantique animo redundant
Cynthij fontes, Populique & auctæ
Mœnibus vrbes
Calculo quantùm sapientiore
Principis gaudent! quoties amicas
Consilî venas aperit; vel ipsum
Orbis Atlantem
Adiuuat gratâ vice FERDINANDVM;
Et vel in cæli Superûmq; censum,
Vel decus maiorum, animo, manuq;
Suggerit arma.

OVLA-

O VLADISLAO Pretiose REGI!
Plurimùm nostro ô Adamanti amate
Dux! o è RHOMBIS Adamas, vel orti
RHOMBI Adamante!

XXIV.

RHOMBI

Varios Dignitatum Ordines in Serenissimi SPONSI Domo denotant.

DITHYRAMBVS.

ARcus Apollo linque,
Curasq; Martiales,
Pharetramq; linque Cressam,
Strepitumq; per Scytharum
Campos, aut vbi ceruos
Siluis in medijs cies.
Alij nunc sunt labores,
Alium scopum videbis;
Non arma, non sagittæ,
Adsit lyra hospitalis,
Adsint Carmina, Boiûm
Quæ magnum recreent Ducem,
Mercurius adfuisset
Testudinis Magister,
Adamantis expolitum,
Genio suo beatum

RHOM-

RHOMBVM diceret, altos
RHOMBI diceret ordines.
Charitum Soror Thalia,
Vatum parens Thalia,
Citharam ſonare docta;
Age Bauari Dynaſtæ
Plenos lumine RHOMBOS
Pleno pectore perſona.
Lechiam hoſpes hic ſalutat,
Sed amicus hinc abibit;
CONSTANTIA ligatâ,
Socioſq; REGE Fratre.
Ad RHOMBVM metra currant;
Ferri præcipitem iuuat,
Vbi Fauſtitas triumphat;
Pater vbi mitis auræ
Zephyrus, beata ſpirat
Carmina, Ducumq; dextras
Verno flore coronat,
Et Vernis rigat imbribus.

XXV.

SERENISSIMO SPONSO TRES CORONÆ

Regni Sueciæ & Ser^mæ SPONSÆ Insignia.

D. D.

VIctrici aliàs, & supra omnia assurgenti Eloquentiæ, duplex natura iecit obstaculum, vt inter arma elinguem iacere; inter Regum diademata, exanimari etiam maiestate eam necesse sit. Sæpe illa quidem vires colligit, erigitur, meminitq; sui: sed vbi iam ad magnitudinem obiecti splendoris eniti videtur, humi se adhuc repere suâ cum facundia animaduertit. *Vt meritò* (licet enim docti viri oratione vti) *religioso sæpe malit maiestatem venerari silentio, quàm frigido encomio magnitudinem violare*. Hinc agnosces Ser^me PRINCEPS si Coronarum Ser^mæ SPONSÆ Tuæ fulgore victa facundia, adorare eas maluerit quàm laudare. Neque enim sol face indiget, & lux se ipsâ lux est. Maxime cum nihil sit in orbe Coronis Diadematisq; regalibus nobilius, excelsius nihil. Quorum is splendor est, vt obscuras etiam barbarorum transcēdat mentes, & vbi lumen solis desinit, illa suam dispēsent lucem. Patere igitur Ser^me SPONSE, Coronas offerri, quia Tuas; Patere laudari, ad quas Tu tantis itineribus anhelasti. His scilicet, & maioribus Iagellonius, Austriacusque coronari debuit

ſanguis, vt Tibi auguſtiùs iungeretur. His Regias illas Serᵐᵃᵉ SPONSÆ Tuæ redimiri Virtutes neceſſe fuerat, vt liberaliore ſplendoris acceſſione Tuam augerent Serenitatem. Dicam verbo, Tantæ Serenitates non niſi Coronis diadematiſq; vinciri debuerant, vt quod alijs, Annuli vobis Coronæ eſſent. Splendorem earum ſi quæras, ſunt auguſtiſſimi Parentis SIGISMVNDI III. ingentes triumphi: Sunt inuictiſſimi Fratris VLADISLAI IV. trophæa, latè orbem peruagata vniuerſum; in quo expreſſum habemus, quidquid Numini ſceptra iungit. Eſt denique Auſtriaci ſanguinis auguſtiſſima Maieſtas, cuius ſi dominium quæras, faciliùs mundi limites, quàm eius imperij terminos reperias; cum penè nullum in Europa ſceptrũ ſit, quod non Auſtriacum: nulla Regia Purpura, quam non Auſtriacus quoq; ſuo ſplendore illuſtret Sanguis. Ita iam felices liceat proclamare Tuas nuptias, in quibus non tria duntaxat diademata, ſed vniuerſæ Europæ Sceptra, & Coronæ Tibi deſponſantur. Felix nuptiale conuiuium, cuius laudum maxima pars eſt, inter BELLARIA regales Coronas adfuiſſe.

XXVI.

ἘΙΣ ΤΡΕΙΣ ΣΤΕΦΑΝΟΥΣ ΣΟΥΕΤΙΚΟΥΣ.

ΤΡΕΙΣ ΣΤΕΦΑΝΟΥΣ ΝΎΜΦΗΣ ΜΑΛΑ ΔΑΨΙΛΕΣ ἮΤΟΡ ΑΝΟΙΓΕΙ,
ἘΚ ΤΟΎΤΩΝ ΔΩΡΩΝ ΓΝΩΘΙ ΑΝΑΣΣΑΝ ἘΜΕΝ.

Idem.

Munifici cordis TRIPLEX Diadema coruſcat,
REGINAM tanto munere noſco meam.

XXVII.

X XVII.

Terna Regiæ Dignitatis Corona, ſplendorem ad poſteros quoq; diffundit.

QVæ Regiorum lux Diadematum
Effulgurantis prodiga luminis
Affulſit orbi? faſtuoſo
Jnuidiam poſitura Soli!
Non ſic Renati flammea Phoſphori
Igni coruſcat Cæſaries, nouam
Sparſura lucem: non loquaces
Oceani ſubitura fluctus
Dies ſupremo ſic nitet Heſpero,
Ternos reflexo dixeris impetu
Ardere ſoles, triplicemq;
Ad radios trepidare lucem.
O lux! ſacrorum lux diadematum!
O Regiorum temporibus Ducum
Florere digna! Suetici atq;
Vandalici ô decus omne ſceptri!
Jntaminatum luminis explica
Splendorem, obortæ non ſuperabilem
Noctisq; nubiumq; moli,
Et timidis ſcopulum tenebris:
Tu bellicoſæ vota Poloniæ
Maiore reddis fænore luminis;
Dum Principum Tuis decoros
Aſpiciet radijs nepotes.

Non vana surdis, credite, rupibus
Do verba vates; vidi ego siderum
Latè reclusas expedito
Cardine dissiluisse valuas.
Vidi coruscâ Te Superûm manu
Cinctum Poloni gloria nominis
Rex magne SIGISMVNDE, nostros
Candidiore oculo Triones,
(Dum gloriosè Progenies Tua
It in pudici fœdera connubî;
Dum voce plausibusq́ rumpit
Æthereas Hymenœus oras)
Spectasse cœlo: lætaq́ ouantibus
Tulisse Diuis vota. Superstitis
Post busta Famæ, sempiterno
Perpetuum celebrandi honore,
Connubialis fœdere vinculi
Inauguratas iungite dexteras;
Nunc voce plausibusq́ rumpat
Æthereas Hymenœus oras.
Vos auspicatis cincta cohortibus
Virtus Coronet; vos animosior
Fidesq́, Faustitasq́, & omni
Pace salus comitata seruet;
Donec (dabunt hæc astra) nepotibus
Sint magna vestris secula. Dixerat
Adstantium assensêre Turmæ, &
Vnanimi sonuêre plausu.

XXVIII.

TRIBVS Ser^mæ SPONSÆ CORONIS, Gloria Serenissimi SPONSI illustratur.

O Diues auri Gloria, præpetes
Molire passus! hic adamantinas
Expande gazas; hic & aurum
Innumeris redimire vulgus
Permitte gemmis. Grandinet aureis
Fortuna (Cræso non humilis) globis;
Surgatq́ TERNAS in CORONAS,
Pannonij pretium metalli.
Faustus recurrat Principibus dies,
Quo nubit aurum diuite copiâ
Gemmis, & auro fæderati
Chrysolitus pretio smaragdi.
At Te beatum, TERNA micantibus
CORONA signis cûi venit in manus!
Fortuna quem, faustusq́ toto
Cantat Hymen, celebratq́ mundo.
Non inuidendo scilicet ambitu
Decusq́, lausq́, & gloria, nobili
Stipata cultu efferre Te optat
Diuitijsq́ animisq́ Magnum.
Auro superbit Gloria, Gloriam
Commendat aurum. Cûi Diademata,
Hymen tot addit, Gloriâ dis
Et rutilo generosus auro est.

XXIX.

SERENISSIMÆ SPONSÆ OCTO SCEPTRA LILIATA *Ducatus*, CLIVIÆ *& Sereñ*mi *SPONSI Arma*.

D. D.

DIuina etiam Liliorum Bellaria in nuptiali Principum menſa par eſt comparere, Princeps Sereniſſima. Non minùs enim iſtæ, quàm Canenſes olim nuptiæ [a] Deum epulo videntur accepiſſe. Qui VELLERIS AVREI PRINCEPS, imo AGNVS, Principum VELLERIS AVREI Inſigne, Lilia inter, ac Principes lilijs accumbentes, amat conuiuari. Et tuus profectò Sereniſſimus SPONSVS (ſi lilia ex Diuino Iunonis lacte nata ſunt [b].) iam inde ab ephebis, lilijs accubuit, poſtquam cum lacte Religionem orthodoxam, ac omnem vitæ integritatem, aut potiùs Diuinitatem quandam hauſit; vti, quemadmodum vniuerſus Salomonis ſplendor vel agreſtibus lilijs de victoria conceſſit, ita ille nobilioribus innutritus, longè vinceret Salomonem. Nitet Fidei eius ſplendor, cui nunquam maculam aſperſit, ſed DEO, Deique inuictiſſimo Athletæ IMPERATORI FERDINANDO probatam, ſãguine maculatæ perfidiæ, ſignũ receptui cõmonſtrauit. Reddunt candidi floris colorem mores ad auitam pietatem, ad magnas Patriæ ſpes, ad ſingulare Sereniſſimæ Proſapiæ ornamentum compoſiti.

a. Ioan. 2. b. Natal: Comes l. 2. c. 4.

positi. Deniq; non solum amplissimum Germaniæ Imperium, sed sepositæ regiones, in quascũq; Christiana fama alas porrigit, Liliorum illius gratiâ videntur fragrare. Quorum numerum eâ clarissimi Nestores ac Hectores Ser^{mi} SPONSI TVI in gyrum posuerunt, vt versus omnes orbis rotundi partes, tantum odoris spargerent, quantum CLIVENSI DVCATVI pepererunt dignitatis. Neq; ex vano ab ijs Sceptra quoq; in connexionẽ vocata sunt, ne prolixior natura in suis floribus, quàm eorum Virtus in suis insignibus euehendis fuisse videretur. Scimus inter volucres Aquilam, Leonem inter animantes feras; sed & Lilia inter flores Sceptra tenere non nescimus: Neq; committere possumus, quin votorum augurio constantem Fortunam liliatæ Rotæ polliceamur, deceptâq; Fortunæ inconstantiam gaudeamus. Ipsâ quippe aliorum sceptrorum depressione, alia è vestigio est erectura. Magnas iam ad decora sua DVX Serenissimus accessiones fecit, dum geminas suis virtutibus virtutes, Regali Iunco, Flores regalia Sceptra obtinẽtes maritauit. His dotibus supra cœlestia sidera terrena assurgũt, quod illa vicina suâ se societate mutuo inobscurent, hæc Sociali Serenitate magis illustrentur. Optimis igitur auspiciis nuptialia festa celebra, atq; Diuinis Ser^{mi} SPONSI Bellarijs, illa, totamq; ætatem oblecta. Ægyptijs quondam erat ex Lilijs panis ad sedandam famem, [a] Vobis ad famam est alendam. Ne verò nudis, (vt aiunt) manibus Tuæ mẽsæ porrigantur, sceptra ad faciendum orbem sese illis coegerunt. Accipe beneuolâ manu, & in Diuinis Bellarijs Sceptra Coronamque contemplare. Si tempori obsecundandũ est, Lilia Sponsum, Sponsamq; coronabunt.

a. *Herodot: lib.* 2.

 XXX.

XXX.

ΕΙΣ ΟΚΤΩ ΣΚΗΠΤΡΑ ΤΗΣ ΚΛΙΒΙΑΣ.

ΠΑΜΠΟΛΥ ΣΚΗΠΑΝΙΟΝ ΚΛΙΒΙΑΣ ΚΑΛΛΕΙΡΙΑ ΠΝΕΙΕΙ,
ΕΙΣ ΓΑΡ ΚΟΙΡΑΝΙΗΝ ΜΕΙΛΙΧΟΣ ΟΫ́ΤΟΣ ΑΗΡ.

Idem.

Principis en SCEPTRVM quàm plurima Lilia Spirat,
Plurima enim hoc vento flante Corona datur.

XXXI.

E Sceptris Liliatis felix imperij omen.

NOn inter omnes lactea ferias
Parente gaudent Lilia Cynthio;
Non semper annorum iuuenta
Vere caput viridi coronat.
Sunt & corusco tædia sideri,
Circumuaganti pingere lumine
Fœcunditates hortulorum,
Et faciem renouare pratis.
Quis credat? Orbi quàm sibi subdito
Stellantis aulæ lampades inuident
Amæna temporum! Reductis
Quàm repetunt sua dona brumis!
Non ad serenas vos ego Principum
Inuito tædas; hinc procul inuidæ
Faces, & astrorum hinc remoto,
Tædia ferte gradum recessu.

Tantum

Tantumnè celsis sidera sunt Polis?
Sunt & Polonis. Non variabiles
Innubium soles dierum,
Materies sibi longa plausus.
Suâ beari luce beatiùs
Quàm mutuato viuere lumine,
Hæc Astra poscunt, Non bicornem
Ingenio referunt Dianam.
Nescit supremo cedere climate
Accensa virtus; fulgere pertinax
Sanguis, sub infimos Triones
Occiduo negat ire cœlo.
Quis nunc teneri flos patiens, humo
Nusquam resurget, vel malè frigidos
Timebit æstus, iam duarum
Lechia luce SERENITATVM
In nuptiales crescit adoreas
Virore læto. Iam Tibi CLIVIVS
Ver afflat orbis Magna PRINCEPS,
Et faciles sine nube Maios.
Iam sceptra frondent non sine gemmea
Superuirescentis niue lilij:
Si mentis adspectes vireta,
Ingenuâ Tibi risit herbâ,
Fides Tuorum maxima Ciuium,
Albusq; candor. Vernat amænior
Vbiq; Regni scena, cordaq;
In varios abiêre flores.
Sic est, in ipsas Regia sanctitas
Dat iura mentes, vtere Regijs
Ad corda sceptris, liliatos
Imperio moderare sensus.

Clarissimorum Sidera PRINCIPUM!
Est & benigno lumine floribus
Vobis facultas imperare,
Et dominos simul esse flores.
FLOS magne Regum, Te Neoburgicus
Mundus virescat, donec in aurea
Regum recrescas sceptra, magnis
Principibus positura nidum.
Formosa Vobis crescite Lilia,
Regnate nobis candida Lilia,
Optata vobis spiret aura,
Aduigiletq; Honor Hortulanus.

XXXII.

E Sceptris Liliatis futuræ Augurium felicitatis.

NUper furenti cornua Sueciæ
Decussit ardens Herculei LEO-
POLDUS triumphi, Islebianus
Ne violet procul Hydrus astra.
Et quis tot actos inuideat LEO-
POLDO triumphos? Regnet, & amplius
Cum Cynthijs Thracum, Gelonos
Præcipites agat in triumphum.
Fortuna Sceptris Boiariæ Ducem
Quæ sic coronat, sceptraq; Lilijs
Fœcundat, & Phœbi instar, aureos
Circumagit radios in Orbem.

Quæ

Quæ Regna ſceptris? quæ niueis parat
Aut Lilijs ſceptra? aut cui Lilia
Cognata Sceptris in coronam, &
Haud vacui diadema Regni
Præſaga fingit? Num malè temperet
Regnum? in Coronas Lilia cûi, domi
Naſcuntur, aut cûi luce primâ
Regia promicuêre Sceptra!
Cûi tanta laudum creſcit adorea,
Cûi Scuta Sceptris auxiliaribus
Firmantur, atque Sceptra ſcutis
In virides animantur auſus.
Quin & Poloni Præſes Auis Throni
Adiuncta Sceptris, regna ſuper Tyro,
Vrbesq́ gentesq́, & ſupremi
Gemmiferas Orientis oras
Oſtentat; & quà ſe rapidis ſuper
Iactauit alis, ad Rhodopen vocat,
Hæmũq́, Boſphorumq́, & omnes
Aſſyriæ, Libyæq́ campos.

M XXXIII.

XXXIII.

SERENISSIMO SPONSO

E Q V E S

M.D. Lithnaniæ & Sere^mæ SPNOSÆ Insigne.

D D.

FVIT è PROCERIBVS ROMAnis PRINCEPS SERENISSIME, qui nuper ad ipsum ineuntis huius seculi exordium, Principi Viro ad se honoris causâ reuisenti, non vnum aliquem Equum, Equitēuè, sed venationem integram, Equis, viris, canibus, & singulari ferarum varietate multitudineq; abundātem, inter Mensas & Mensarum Coronidem Bellaria exhibuit. *Nam* (vt testis est magnus hoc seculo Orator a) *surgentem è solo sublimiùs siluā, in subdiali ædiū suarum parte, è saccharo, cæduā, excitauit. In ea feras, verè canes, venatores ad iustam omnes magnitudinem, ex eadem nimirum argillâ, conformauit, tam abrogante miraculo veritati fidem, vt nemo quod res erat aduerteret.* Quid igitur mirum, si & nos istum inter BELLARIA siue Venatorem, siue militem, Equitem certè cataphractum, Magni huiusce Ducatus Lithuaniæ Insigne, adferamus? Agnosces Sarmatā PRINCEPS SERENISSIME, non equidem illum

a Gumis. allocut: 5.

de quo

de quo Poeta aliquando cecinit. *Venit & epoto Sarmata pastus equo*; sed illum, qui sumpto cũ Bellerophonte, vel Perseo, à diuina Pallade Sapientiæq; præside freno, [a], Pegasum suum ita rexit, vt cùm alis subuectus suis, terras, aera, ipsumq; lustrasset cœlũ, non iam duos, vti alter ille Pegasus, sed plurimos in suo Magno Ducatu, Musarum fontes vngulâ suâ aperiret. Vnde enim quæso Castaliæ istæ Aganippidesq; vndæ, quæ ex Alma Academia hac, & Vniuersitate Vilnensi, ceterisq; Musarũ domiciliis, non tantúm in Magnum hunc Ducatũ, verũ & in vniuersas Poloniæ, imò & totius Europæ Orbisq; Prouincias longè latèq; dimanant? Nimirũ ab istius vngulâ Equi; qui quidem, etsi nõ de aliquo Sybaritarum grege veniat, saltu tamen & choreis terrâ cæloq; spectatis, omnes illos, fontibus verò Musarum ita feliciter copioseq; productis, Pegasum quoq; ipsum longissimè superat. Atq; vt, quæ de illo dicuntur, oculis quoq; ipsis pateant, quidquid hic BELLARIORVM nostrorum PRINCEPS SERENISSIME vides, ab huius Equi Equitisq; fontibus haustum sumptumq; est. Quæ quidem BELLARIA, si, vti de humanitate summaq; beneuolẽtiâ Tuâ speramus vniuersi, & vultu, & animo grato acceperis, illum quoq; ipsum, à quo ista profluxerunt omnia, primo inter SECVNDAS hasce MENSAS principeq; loco censebis; nos verò Pegasum nostrum, etiam illi Caligulæ Equo, qui Incitatus dictus, aureis præsepibus hordeum, Vinumq; aureis poculis hauriebat, idque insuper consecutus erat, vt per salutem eius vulgò mortales iurarent, [b] quam longissime, vti facimus, præferemus.

[b] *Dio libr: 59.*

XXXIV.

ΕΙΣ ΚΕΛΗΤΑ ΛΙΤΟΥΑΝΙΚΟΝ.

ΕἹΑ ΚΕΛΗΣ ΛΙΘΑΒΩΝ ΘΕΕ ΚΑΙ ΤΡΕΧΕ ΚΟΣΜΟΝ ΕΡΩΤΑ,
ΤΙΣ ΙΑΓΕΛΛΩΝΟΣ ΜΗ ΝΟΕΙ ἋΙΜΑ ΞΕΝΟΣ;

Idem.

Eia citus citò currat EQVES Lithauus, roget, Orbis,
Nonne IAGELONIS Sanguine clarus erat?

XXXV.

EQVES.

Lithuanus ad Patriam Sapientiâ, pietateq; firmandam incitatus.

QVid Musurmanis metuende campis
Incitus iustam meditaris iram?
Quid truci nuper grauis ille Moscho
Assonat ensis?
Num repentino violenta Marte
Bella ferali tonuêre cornu?
Et manum nacti, malè peruicacem
Imus in hostem?
Ite crudelis simulacra lethi,
Iam minas toruus procul egit hostis
Ite: periuris lacrymatus olim,
Abstinet armis.
Ille, sudatæ comes ille laudis
Palladi sacras Honor ambit ædes:
Vnde regali stetit erudita
Vertice laurus.

Ambit

Ambit impubes imitata flammas
Dulcè ridentis Pietas sereni;
Ambit illimi benè feriatus
Pectore candor.
Hic crocus circùm, violæq; mollem
Adstrepunt auram, tepor hîc odorâ
Voluitur nardo, viridemq; claudunt
Lilia pompam.
Quà Iagelonum manus vsitatas
Aureo latè pluit imbre gazas:
Quà dein nexæ viruêre lauro
Virgine palmæ.
Nec tamen rectè sapuisse paruum,
Laurus augustæ dominata fronti,
Vendicat nomen, viret illa magno
Vertice maior.
Imperî fulcrum, est sapiens. ahenæ
Mobili vento iacuêre turres.
Cûi potens, Rex est ratio, hic perenne
Durat in æuum.
Nam licet multo pretiosus auro,
Diuitem latè moderetur Hermum:
Longa, ni stultus vetet esse, mundo
Fabula serpet.

XXXV.

EQVES

Lithuanus Apollinem Academicum & Amphionem inuitat, vt GLORIÆ SERENISSIMORVM

SPONSORVM

Æternam cantu ſuo Arcem ſtruant.

SI quando, facili nunc age murmure
In carmen reſonent, doctaq; garrulum
Latè fila ſono diſtribuant ebur,
Magnum fracta per aëra.
Sic, quæcunq; cauis nubibus æmulum
Jmmerſêre caput culmina, & aſperis
Decertata Notis Regna Decemplici
Inuaſêre cacumine,
Surdis accipient carmina rupibus:
Sic mutus poſitâ duritie ſilex,
Et pronis ſalient marmora montibus,
Et fractis ſcopuli petris.
Et quà difficiles artificem pati
Exurgunt lapides, quàq; minacibus
Formidatus hiat faucibus, & Stygem
Ructat Tænarus intimam:
Quà duram Pario monte lapis niuem
Attollit, liquido vel ſtupet aëre
Maſſilusuè Silex, quæq; nimis, vagis
Alpes nubibus obuiant.
En iam quanta ruunt, quotuè ſequacibus
Repunt ſaxa iugis! Eia, agite huc citos
Maturate gradus, quà poſitus rudi
Campus planitie iacet

Hic alto

Hîc alto indomitos ducite culmine
Muros, hîc ſocio robore pertinax,
Septenam replicet Tænarius lapis
Grandi mole ſuperbiam:
Hîc ducto Parius pariête ſtet ſilex,
Occurrantq; vagis latè Aquilonibus
Turres, ê Phrygijs hoſpita quas iugis
Mittant ſaxa ſub æthera.
Arx (quid plura moror?) ſurgat, aheneo
Quam nullus tonitru rumpat, & aſpera
Quamuis continuis terribile vndiq;
Frendant bella molaribus.
Ducat perpetuos Gloria Principis
Hic inuicta dies, cumq; alijs graui
Incumbet ſenium pondere, ſtet benè
Inuicto ardua robore.

XXXVII.

SERENISSIMÆ SPONSÆ TABVLA LATRVNCVLARIA *Ducatus MARCHIÆ & Sereñmi SPONSI Insigne.*

D. D.

NE esset, qui aliquid in publico totius Poloniæ plausu, Tibi ad hilaritatem non laborasse videatur PRINCEPS Serenissima, ABACVS iste atq; Tabula Sermi SPONSI Tui, ad Nuptialem Pompam accessit. Inuitari Te in æmulationem victoriæ putabis, sed pari iam stetistis campo; vterque victi, quia Sponsi; victores vterque, quia Principes. Pulchrum sanè oculis Tuis in Tabulâ hac spectaculũ, SERENISSIMVM PRINCIPEM Tuum! Quantus sit, hinc agnosces; quanquam maior sit, quàm vt totus in quascunq; eloquentiæ angustias narratione veniat. Quæ enim narratio istum dicet, qui toti Imperio Rom: copiosa est Historia? In cõmunionem similitudinis vocare non dubito Tabulam & Rempublicam; lusorem & Principem. Lusus enim Principum, est ordinare Remp:, & velut in tabula ciues cogitatione pertransire ad emendandam securitatem. Tunc prudenter ludunt Principes, vbi in Republicâ Cõcordia, & in ciuibus mens Principis. Memorabiles mihi illæ Prouinciæ, quæ Regum suorum facies à pennicillo acceptas singulis vrbibus conseruant, gloriosiores futuræ si imita-

tione

tione in se trāsfudissent. Non erubescet certè Neoburgum ferre Tabulam, quia quod à prudentissimo PRINCIPE discat inueniet. Nam si scholæ sunt Regna & Respublicæ; exitus rerum cognoscere, cōsilijs erudire, ad gloriam instruere, Regū Principumq; Magisterium est. Tantus Princeps vt Tuus esset; omnis Fortuna calculum in tabulam iecisse videtur, dum felici fœdere conueniunt vmbra & claritas. Sed & in hoc quoq; quid lateat, ex vmbra liberalius prospicies. Campus Martius est, in quo nisi funera, gloria non est: Eclipsis hostium, splendor Principum, qui pulchriùs lucet ad tenebras. Tibi seruatur hæc Tabula SERENISSIMA PRINCEPS, quæ Marte Polono genita, inter triumphos & hostium clades enutrita,, illi soli debebaris, qui Te quasi in tabulâ Apellæâ, omnibus animi corporisq; Gratijs cinctam, vti ANNAM, & singulari castimoniæ Puritate illustrem, vti CATHARINAM; & incredibili demum Martij Virilisque pectoris firmitate præditam, vti CONSTANTIAM, in oculis ferret.

XXXVIII.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΒΑΚΑ ΜΑΡΧΙΚΟΝ.

ΕΝΘΑ ΤΥΧΗ ΝΙΚΗΣ ΚΑΛΙΑΝ ΠΡΟΣΕΠΗΞΑΤΟ ΔΟΜΝΟΥ,
ΜΗΠΟΘΕ ΜΗ ΜΑΤΗΝ ΠΙΠΤΕΝ ΑΒΑΞΙ ΚΥΒΟΣ.

Idem.

Hic fortunatum fixit Victoria nidum,
Cûi nunquam illusit Tessera, & hic Abacus.

XXXIX.

E Fortunatis Ser^{morum} PRINCIPVM Nuptijs ingens vtriusq; Patriæ, gaudij, lætitiæ, & fortunarum omnium augmentum.

QVæ me videntem Sarmatici rapit
Jmago regni: quæ mihi regiæ
Creuêre moles; vt Superbis
Porticibus ſubeo, Arcibusq́!
O! vt refixo magna Palatia
Ardent ab auro! ridet amænior
Vultus Poloniæ, ipſa Regni
Purpureo viret aula faſtu
Jngens videri! Iam placidæ ad ſonum
Voces laborant, & Lechici minæ
Riſêre Martis, pallidamq́
Lætitiæ dedit ira frontem.
Spectate plauſus! vt veniant graues
Reges triumphis; vt venientibus
Præludit horror, dum caua æra
Artifici reboant tonitru!
At quo reſponſat clamor ab angulo
Et par reſiſtit? Cantibus accinit,
Plauditq́ plaudenti, triumphis
Luce pari recitat triumphos.
Audite! nunquid non Neoburgicus
Reſpondet orbis: dulciſono fluunt
Tenore voces,, nuptiale
Terra canit, canit aura carmen.

Sic ad

Sic ad ſuorum fœdera Principum,
Et ipſa nubunt Regna ſibi, ſibi
Et ipſa iurant: ſempiternum
Compoſitis repetendo dextris
Nexum. Et ſuæ iam fert Neorburgicus
Apollo ſponſæ nobile Regij
Ludi pauimentum: ſuiq;
Dona domus potiora SPONSI,
Luditq;: totis plauditur areis,
Cœli triumphum vocibus aſſonant,
Vocesq; cœlis, & merenti
Ciuis Hero canit ipſe laudes.
Jlluſtre magni Principis otium,
In ordinandis ludere ciuibus,
Et mentis excelſæ labores
Jmperij vigilare curis.
Quodcunq; retro eſt proſpicit, & ſuo
Pro ciue Princeps Sollicitus vigil,
Primus periclis obuiando,
Ne timeant, timet ipſe cunctis.
Tanto beatam Principe Principem!
Et digna tantis munera Nuptijs!
Vt ponat æternùm Poëta
Jn tabula: Tuus eſt amico
Cum Ciue Princeps. Hic tibi fauſtitas
Æterna ſcribat ſæcula. Sæcula
Beata Saturno: beatis
Principibus reditura SPONSIS.

XL.

AD SER^MVM PRINCIPEM WOLFGANGVM VILHELMVM Comitem Palatinum Rheni, Ducē Bauariæ, Iuliæ, Cliuiæ, Mōtium; Comitē in Veldentz, Spanheim, Marchia, Rauensburg & Mœhrs, Dominum in Rauenſtein, &c. Ser^mi SPONSI Parentem, de felici quondam ad Eccleſiam reditu, deq; auſpicatiſſimis FILII cum Ser^ma Poloniæ Principe NVPTIIS.

GRATVLATIO.

NOn vna Nomen BOIARIE tuum,
Vultusq; Auorum puluere Martio
Pulchrè indecoros, & meantes
Secula per, populosq; ceras;
Laurusque, Martisque inter adoreas,
Sagoque demeſſam ſegetem, aureos
Togæ labores, & ſupremas
Pontificum Procerumq; mitras
VOLFGANGE ſeruat. Nam tenebras ſimul,
Islebianis quas Tibi nox plagis
Affudit, extinćti. Tuamque
Feſtus Hymen Sobolem Polonæ
Iunxit Dianæ; non ita Cynthius
Sororque Cynthi, regna per, & domos
Florentis Europæ, & natantes
Euganeo Siculoq; terras
Partitur ignes, nec ſua circinat
Immanis Arćtos ſidera latius,
Quàm fuſa vbiq; latè ſpargit
FAMA Tui radios honoris.]

Audiris,

Audiris, & quà Te Latiis diu
Echo repercussa occinit Alpibus:
Et quà frementes inquietant
Carpathon atq; Helicona venti.
Audiris, & quà Villia Patrios
Montesq; Lucosq; increpat asperis
Clamosus vndis: & quà Iberas
Bætis agit violentus vndas
Redditq; Ponto. Sed tamen omnibus
Antestat Albis; qui socios vocat
Rheniq; Danubîq; fluctus,
Inq; Tuas animasse laudes
Vicina gaudet Numina Fontium,
Leuesq; Faunos, atq; Alemannidûm
Choros Dearum, siue montes
Siue cauas habitare quercus
Lucosq; malint; siue epulas rudes
Cultusq; agrestûm, donaq; rustica
Ignobilisq; tesqua, magnis
Vrbibus anteferant, agelli.
Ergo solutis pars manibus Tibi
Repanda fundent lilia, & vberem
Nimbum rosarum; pars ligustra
Colliget, & super alta Rheni
Mosæuè & Albis littora, vel super
Lyci fluenta è floribus arduam
Fingent Columnam. Vbi recentes
Cum violis hederisq; Acanthi
In ora, vultusq; euireant Tuos;
Et (quanquam Olympi ritè curulibus
Donandus ibis) alterum vltrò
Teuthonibus referant VILHELMVM.
Effultus ergo mole super nouâ
Durabis æternùm, & populis sacrum
Jus, fasq; dices: floridusq;
Arbiter ipse oculos manusq;
Fascesq; habebis nonnisi floridos
Et secla reddes nonnisi florida;
Tam cultor æqui, quàm seuerus
Hæreseon scelerumq; vindex.

P Sed qui

Sed qui benigno ſub Ioue poſteri
Olim ſequentur, Te quoq; ſeculis
Superſtitem volent ſuis, &
Parte frui melioris æui.
Dicentq;, qualis Cæſare fulſeris
Sub FERDINANDO, quâ fidei face
Luſtraris Arcton, cùm rebelles
Mars rigidus quateret Triones.
Emiſſa ab Orco cùm furialibus
Alecto tædis verteret omnia;
Et ſæpe ſtratam, ſæpe ſternendam
In furias animaret hydram.
Cùm Tu profanæ bella proteruiæ
Peroſus, altâ de ſapientiæ
Mentisq; ſede, & arma, & ignes
Impauido ſpeculatus auſu
Accenſa bello pectora, diuite
Venâ teneres vberis eloquî
Flammamq; belli, ipſasq; ſæuis
Excuteres manibus ſariſſas.
Nimirum vt olim Tartareas domos
Ingreſſus Orpheus, carmine Cerberum
Clauſosq; manes, & Charontem
Et furias, furiarum & angues
Mulſiſſe fertur: non minus Orpheo
WOLFGANGE ſeris grande nepotibus
Nomen relinques, barbitoq;
Tutus Apollineâ, per ipſas
Dicêre flammas iſſe, per hoſtium
Truces phalangas tela per, & manus;
Hydramq; flammis, Cerberumq;
Threïcio domuiſſe cantu.